



**Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola  
Prodigi Euangelici**

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigi Evangelici Reditv  
Ad Patrem

**Bosquier, Philippe**

**Moguntiae ; Coloniae, 1615**

2. Quod tanta patris illius clementia immensam Dei repræsentet  
misericordiam in pœnitentes.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

*Decreui tantisper me minus iniuria,  
Chreme meo gnato facere, dum fiam miser:  
Nec fas esse vlla me voluptate hic frui,  
Nisi ubi ille saluus redierit meus particeps.*

Videte igitur parētes vos ipsos in speculo huius patris, & clementiam discite paternam illo doctore quē Christus vobis proposuit. Discite non minus ignoscere quam punire, dissimulare nō nunquam, facilius fere continentur filij benignitate & facilitate quam terrore.

Terent, in Adolph. Act. 1. Scen.

*Do, permitto, non necesse habeo omnia.*

*Pro meo iure agere.*

*Pudore & liberalitate liberos*

*Retinere, satius esse credo, quam metu.*

Dicebat aliquando senex, qui filium non habebat alium quam adoptatum nepotulum.

## II.

*Quod tanta patris illius clementia immensam Dei-  
presentat misericordiam in pœnitentes.*

Sed quid significat hæc tam rara patris clementia, nisi immensam Christi misericordiam in peccatores quoscunque, publicanos, gentiles, &c. Exhibuitne se Prodigio semper refractario alium, quam amicissimo?

Qualem vero charitatem ostendit nobis Christus, creaturis suis, filiis suis, sed semper rebellibus? Cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.

Cum essemus in flagranti delicto, in feruore peccati, faciētes voluntatem semper nostram, nunquam ipsius: cum adhuc tōge essemus ab ipsius amore, (semper enim erecto armatoque collo in ipsum incurrimus, nihil minus cogitantes quam humiliatione redire in gratiam; exemplum est in Adamo) accurrit & occurrit nobis, vultu amicissimo, & accurrens. Venos erigat, promittens Adamo semen mulieris quod conte-

Rom. 5.

reret caput & fraudes serpentis, id est, mediatorem ac *Genes. 3.*  
redemptorem. *Cum adhuc longè esset; Vnusquisque no-*  
*strum, sc. nihil cogitās, nihil considerans, sed in lum-*  
*bis adhuc primorum parentum. Accurrens præuenit*  
*natiuitatē nostram promissione lytri, Præuenisti eum* *Psal. 10.*  
*in benedictionibus dulcedinis. Cum adhuc longè esset: Ne-*  
*mine nostrum qui hic sumus, nullo ex posteris, adhuc*  
*in lucem edito. Accurrens cecidit super collum eius & o-*  
*sculatus est eum.*

Præuenit nos factus homo, amplexatus est nos,  
indissolubiler nostram assumens naturam, obrulit  
se in sacrificium pro nobis, in altari crucis. Adeo ut si  
Adam nos damnauit antequam essemus nati, Chri-  
stus melior pater quam Adam nos saluarit antequam  
simus concepti; id est, fecit satis ad saluandos eos qui  
ante ipsum fuerunt, qui suo tempore erant, & qui ad-  
huc futuri sunt. *Cum adhuc longè esset, vnusquisque no-*  
*strum in idololatria, in veri Dei ignorantia; adcurrēs*  
*præuenit nos, aliquando in persona, sæpius per Apo-*  
*stolos & ipsorum successores, amplexibus, osculis, in-*  
*dicauit amorem. Cecidit super collum eius & osculatus*  
*eum; ut nos ad se attraheret, & faceret suos: id est, cœ-*  
*lestis regni hæredes. In Christo Iesu vos qui aliquan-* *Ephes. 2.*  
*do eratis longe, facti estis prope in sanguine Chri-*  
*sti.*

Præuenit nos præueniente gratia, catechisans in-  
struens in cognitione veri Dei, & vnus mediatoris  
& redemptoris: amplexatus & osculatus est nos,  
cum nos recepit in gratiam & per baptismum recon-  
ciliauit patri. (*Omnes enim nascimur filij ira, adeo ut*  
*quatenus tales, curiæ cœlesti simus intolerabiles.*)  
Cum autem adhuc longè esset vnusquisque nostrum,  
tam dissimilis Deo per naturam; magis etiam per  
imperfectiones, & tam parum amicitiae ipsius  
idonei (*nam similitudo morum conciliat amicitiam*) *Cic. de amī-*  
*quid enim luci ad tenebras? lupo cum ouibus? re-*  
*cit.*  
linquens tamen Angelos magis similes, natura supe-  
riores, forte & minus peccatores; accurrit, præuenit  
nos, homo factus est: mōstrauit se, quæ fuit hominē,

incidit in collum, oscularus est, desponsauit, donans ei annulum, induens pretiosis, & quid non? nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abraham: non secus quam si hominis indignisset, sicut homo ipse.

*Legunt (oc-  
currens) in-  
terp. Chry-  
sost. hom. de  
hac re non  
semel tom. 2.  
Amb. lib. 2.  
de poenit. c. 3.  
Ven. Beda.  
B. Vincent.  
Sed D. Au-  
gust. lib. 2.  
44. Euang.  
S alij, ac-  
currens.*

Notandum vero textum non tantum dicere *obuiam illi*, sed *occurrere*, iuxta S. Vincentium, & Authorem sermonum ad fratres in Eremito, inter opera S. Augustini. Vel *occurrere* ut legit S. Augustinus, Vulgata & Castalion. *Currens* vero iuxta Arrianum Montanum, græcè *δοξωω*, quæ plus significant quam ire obuiam: celeritas enim ista, & properatio, ardorem significat, libertatem & desiderium, & non nudè ire obuiam.

Obuiare enim potest quis nihil cogitans, casu, imo & inuitus. Accurrere vero ad aliquem, libertatem sapit. Dein obuiare voluntariè moderatam dicit amicitiam, sed accurrere ardorem, & impatientiam, ac desiderium. *Dura sunt in amore mora: spes qua differunt affligit animam.*

Et hoc admodum propriè: tam ut significetur natura Dei, & acceleratio, & libertas, & magnum desiderium incarnationis in filio Dei, tam ex parte eius qui incarnabatur, quam ex parte eorum pro quibus; ut ostendatur indoles Dei. Propriè enim est Deo omnibus ubique se exhibere, in subsidium, ubi necesse. Et ut videtur quidam Græcum *ἵεός*, à verb. *ἵεω*, id est *currere* deriuant: quasi Deus currat, & ubique adfit celerimè, ad auxilium paratus. Quid? nonne sæpe adest necdum inuocatus? *Antequam clament ego exaudiam.*

Psalm. 7. ] *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.*

Psalm. 33. ] *Prope est Dominus his qui tribulati sunt corde.*

Isai. 64. ] *Occurristi latanti & facienti iniustitiam: in uitiis tuis recordabuntur tui.*

Isai. 58. ] *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adsum.*

Ad significandum etiam marurationem incarnationis,

tionis, tam in promisso quam in opere. In promisso: nōne cito promissa est, & admodum tempori: eodem sc. die quo Adam peccauit, eadem hora qua Deus ipsi definitiuam mortis pronuntiauit, simul pronuntiauit ipsi in momento, in eodem teatro, decretum alterum de misericordia, quod nimirum nasceretur aliquando ex fœmina, qui contereret caput serpentis, id est, quod Christus nasciturus esset ex Virgine, qui nos omnes repararet. *Cum iratus fueris (etiam) misericordia recordaberis.* In opere etiam: cum enim indefinito promississet tempore, ac liberum ei esset citò aut tardè soluere promissum, *quia in potestate dantis est quando vel quātum velit misereri*, iuxta S. Augustinum: & posset etiam conuenienter differri in finem mundi, vt diceremus, *senectus mea in misericordia vberi*, vt hac ratione magis innotesceret hominibus, de scientia & robore suo præsumentibus, ignorantia ipsorum ac infirmitas, anticipauit multum finem mundi, & festinauit mittere filium promissum in carne, tempestiuus quam merebamur, & quam obligauit promissum, partim propter desideria & preces instantes. (*Virginam dirumperes caelos, &c. Fiat misericordia tua, Domine, super nos, &c. Ostende faciem tuam, & salui erimus: mihi te quem missurus es: propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.*) Partim & principaliter propter intercessionem B. Virginis Mariæ, quæ decus erat mundi, ac propter puritatem eius, quantā post Deum imaginari possis, *non distulisti Christum tuum.*

Sic Ioseph videns fratrem suum minimum Benjamin admodum sollicitum, & reliquos in magna perplexitate ne ipsum detineret in Ægypto, non potuit ulterius dissimulare, quin occultare se volens se proderet.

Sic Deus Pater, Deus filius, & Deus Spiritus sanctus (vt ita dicam) differre incarnationem vltra non potuerunt, postquam viderunt natam Virginem Mariam, tantum operis sui complementum. Sanctitas B. Virginis clamabat: *veniat dilectus meus in hortū suum. Cant. 6.* Charitas Patris respondebat: *vulnerasti cor meum soror Cant. 4.*

D. Aug. li. 2.  
44. ex nouo  
test. 8. circa  
pri. tom. 4.  
Vide D.  
Thom. p. 3.  
q. 1. art. 6. in  
corp.

D. Anselm.

mea sponsa, vulnerasti cor meum, in vno oculorū tuorū, & in vno crine colli tui: filij festinatio geminabar: oculi mei auolare me fecerunt. S. Spiritus prolequebatur, odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Tres autem simul dicebant personæ: *post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Non ita Pantheræ fragrantia feras allicit, nō ita Monocerotes sinus virginis, fera alioquin animalia quæ capi se non sinunt, non ita Sol, qui in leone ardet, in signo virginis ardores suos temperat, nec vnquam insuperabilis Sampson à Dalila sua se suavius ligari passus est, nec fortius magnes ferrum attrahit, nec expansa fortius impellit vela ventus, quam sanctitatis feruor & gratia B. Virginis, Sanctam permouit Trinitatem & Dei filium, ad accelerandum præfinitum incarnationis tempus. Sola ipsa quasi datum anticipauit decretorum: illa iustitiæ Solem per decem lineas fecit properare, (vt olim Iosue stare, Isaias regredi fecit decem lineis) ita rapuit Deum vt si Dei filius venturus fuisset pederentim, paruisque passibus, eum instigaret ad gradiendum gradum, vt luci adesset & ante mundi vesperam, inter homines. *In medio annorum notum facies*, vt nobis faceret gratiam, sicut venit ad Adamum post meridiem, vt ei impenderet iusticiam. *Ambulabat in paradiso ad auram post meridiem*, id est, (dicit Varablus) *sub vesperam quo tempore ventus se attollere, & aspirare solet Zephyrus.* Et hoc opinor dicere voluit Gabriel Angelus, istis verbis, *inuenisti gratiam apud Deum.* O Virgo ita Deo complacuisti propter virtutes tuas, ecce, confestim illico, (si ita tibi videtur) *concepies in utero & paries filium*: concessit tibi Dominus propter bonas tuas gratias gratiā istam, vt Deus redemptionis communis tempus anticipet.

Quidni? si enim propter prædestinatos quoddam dies Antichristi breuiabuntur, & si propter impenitentiam aliquorū nimiam diluuium 20. annis acceleratum est, iuxta S. Hieronymum & Chrysostomū. Sententia enim habebat post 120. annos inferendum, nisi se emendarent. Cur igitur non potuerit miraculū illud

Ibid.

Cant. 1.

Vide D. Gregor. l. 31. moral. in Job. c. 11.

Abac. 3.

Varab. annot. 19. ad e. 3. Genes.

Chrysost. hom. 25. in Genes.

illud sanctitatis, & culmen diuinorum operum, benedicta illa in mulieribus B. Virgo, incarnationis Christi tempus meritis suis accelerare?

D. Hieron. in traditionibus in Genes. ] *Quia poenitentiam illi agere contempserunt, noluit Deus tempus expectare decretum: sed viginti annorum spatiis amputatis, induxit diluuium anno centesimo agenda poenitentia destinato.*

Hugo in annotationibus in Genes. ] *Sicut Ezechia mortem instantem minatus est Deus: sed quia poenituit, mortem instantem in quindecim annos distulit: sic contra illis hominibus ad poenitendum 120. spatium concesserat; sed quia facti deteriores patientia Dei, spatium indultum, breuiatum est. Nec in aliquo istorum mutatum est Dei consilium, sed tantum sententia.*

Franc. Vatablus scholio 4. ad c. 6. Genesis in illud: dies illius 120. anni ] *Id est (inquit) tempus, quo resipiscere potest homo. Non de tempore vitæ hominis, sed de tempore dato homini ad resipiscendum loquitur.*

Filius igitur Dei dicitur accurrisse ad Prodigum genus humanum, ad significandam accelerationem temporis in gratiam B. Virginis.

Item, ad demonstrandam libertatem: *Et accurrens: non enim imaginandum filium à patre compulsum, vt ad homines se demitteret; vt videntur loqui quædam scripture, quod traditus sit à patre. Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Rom. 8.*

Isaia 53 ] *Propter scelus populi mei percussit eum.*

Item quod dicit S. Paulus ipsum venisse ex obedientia; *Christus factus est pro nobis obediens patri, vsque ad mortem, &c.*

*Filius hominis vadit, sicut definitum est à patre.*

Luc. 24. ] *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.*

Et quia videtur in articulo passionis quasi inuitus illa sustinuisse, oras tam ardenter transferri à se calicē. Neutiquā, nulla ibi vis fuit, nulla coactio, non magis pater compulit filium, quam Abrahamā Isaacum figurā huius, quem Deus immolari volebat: non magis quam

quam nauatæ Ionam, cum iacerent ipsum in mare ad illud sedandum. Vera passionis Christi formula (iuxta

**D. Hier. e-** S. Hieronymum) ipse enim dicebat: *Tollite me & mit-*  
**pist. ad Paul.** *tite in mare, & cessabit mare à vobis. Scio enim ego quod*  
**Feuardent.** *propter me tempestas hæc grandis venit super nos.*

**præfat. inle-**

**nam.**

**Iona 1.**

Quamuis enim magnam habuerit obedientiam, liber tamen fuit: libentiori enim animo obediri aliquando potest, quam possit imperari. Et cum Christus orauit aliquando auferri calicem, non superioris sed inferioris partis erat oratio. Et forte calix, quem cum diuertere voluit, fuit lapsus suorum: nominatim S. Petri, vel damnatio Iudæ, aut aliud aliquid. Passionem enim maxime voluit *in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.*

**Psal. 32.**

Desiderium etiam incarnationis non minus significatum est. Nam *delicia ipsi, esse cum filiis hominum* visibiliter. Ac desiderabat ostendere quomodo zelaret honorem patris, sicut bis zelauerat pater honorem ipsius: semel præcipitans Luciferum, qui sanctum eius euertere studuit propositum, & affectauerat aut præferri, aut æqualis haberi ipsi. Secundo puniens genus humanum, quod illi æquari volebat in sapientia. *Eritis sicut Di sciētes bonum & malum.* Desiderabat etiam manifestare quantum nos amaret.

**Genes. 3.**

Cum igitur in sacro Trinitatis consistorio statutum esset reparare humanum genus, idque vt iuste, sapienter, potenter, & benigne fieret, nullum convenientius inueniri medium, quam vt vna trium ex sacro Senatu persona, homo fieret, & pro noxiis pareretur; idque convenientissimum esse fieri à filio, statim dixit filius Patri: *ecce ego mitte me: statim exultauit* *ut gigas ad currendam viam: tunc dixi, ecce venio: pater* *da mihi portionem substantia, quæ me continget; permitte* *mihi soli incarnari, quod me magis, quam ullam sanctæ* *Trinitatis decet.*

**Esaiæ 6.**

**Psal. 18.**

Sicut fidus amicus vt amicitiam suam probet nihil laborat nisi cognoscere qua re possit amico gratificari, idque vbi didicerit ardet extremo eius complendi desiderio: sic filius Dei tam per essentiam quam per amorem



morem vnitus Patri. *Ego & Pater vnum sumus.* Et nos tanquā creaturas & imaginem ac similitudinem suā, & plasma manuum suarum, supra modum amans, & semper optans tempus quo amorem suum in patrem & creaturas probaret, quamprimum oblata est occasio exequendi istius per incarnationem & passionem, summo desiderio executionis horam suspirauit: qua veniente mirabili alacritate etiam perfecit. Ideo igitur dictū est adcurrēs propter desiderium & alacritatē. Quis dubitat? cum omnis ferē cœli chorus, omnis musicorum Dei concentus, luscinix ac syrenes cœlestes, altis vocibus cantarent *gloria in excelsis.* Et æneator magno clangore insonaret: *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator.* Luce 2.

Desiderium inquam & alacritas, quis dubitat? cum dicat de voluntate patris. *Meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui misit me.* Desiderio & alacritate passionem calicem appellat, qui refectioni seruit & recreationi. Desiderio & alacritate ea de re tam sæpe cum amicis, Apostolis, Prophetis, Elia & Moysē loquitur. *Erant loquentes cum Iesu de excessu quem completurus erat in Ierusalem.* Ioan. 4. Matth. 17.

Desiderio & alacritate dixit de Paschate quo moriturus erat, *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Luce 22.

Et alibi: *Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor vsq; dum perficiatur?* Luce 14.

Videte cur dictus sit accurrisse ad nos Prodigus, & adcurrēns.

Quantum ad Publicanos quibus speciatim hæc parabola dicta est, cursus ille & accurrisse, non significat quod eos corporaliter prior quæsiuerit: nam erant appropinquantes Publicani & peccatores, vt audirent illum: Sed quod eos gratia præuenerit, & magis desiderauerit ipsorum societatem, vt eos externis mediis conuerteret, quam illi ipsius.

Quantum ad peccatores in genere, me, vos, quicumque fuerit, significat quod Deus gratia nos præueniat,

ueniat, & quod peccator postea gratia illa bene vrens, adiutus à Deo, paratum ipsum inueniat, tendentem manus, roborantem nouis additamentis gratiam. *Operi manuum tuarum porriges dexteram*, significat hoc Deum præsto esse, & paratorem ad dandum, quam nos ad orandum. Bene S. Augustinus.

D. Augustinus lib. de spiritu & anima. ] *Tardius est Deo veniam peccatori dare, quam illi accipere. Sic itaque festinat reum absoluerè à tormento conscientia sue, quasi plus eum cruciet compassio miseri quam ipsum miserum passio sui.*

D. Ambros. lib. 2. in Luc. ] *Vide quam bonus Deus & facilis indulgere peccatis?*

D. Bernard. ] *O felix poenitentium humilitas! o confidentium bona spes quam facile vincis \* inuincibilem!*  
*Quam cito tremebundum iudicem conuertis in piissimum patrem!*

*\* al. inuisibilem, mihi melius inuisibilem.* Psal. 72. ] *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde.*

Psal. 47. ] *Secundum nomen tuum, sic & laus tua in fines terræ.*

Imo non tantū currit, paratus præuenire nos gratia, vt declinemus à malo & faciamus bonum, & admodum celer ad ignoscendum, & acceptanda exigua bona quæ incipimus facere; sed etiam statim mandat ministris ac sacerdotibus, vt melioribus gratiis nos perfandat: illis dico quibus iustificamur, & Deo familiares reddimur per Sacramenta sc. tãquam per canales, & tubos tali rei accommodos, per absolutionem sacramentalem. *Cito cito*, inquit, *cito citissime*, propter *stolam primam, induite illum*, detrahitis prius serutis illis & panniculis, & in sterquilinum eiectis. Quod ad uerbum *cito* in Græco quidem non est, sed tantum in vulgatis, ac reperendum mihi videtur aut subintelligendum in mandatis sequentibus. *Cito induite, cito date*

*D. Ambros.* *annulum, cito date calceamenta in pedes eius. Cito adducite vitulum saginatum. cito occidite, cito, cito. Nescit, nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia*, inquit S. Ambros. Expediri vult omnia celerrime, vt quamprimum

mum reuestiatur filius prima & principali innocen-  
 tia & iustitiæ veste, vt cito absoluator, & iustificetur  
 sine multa dilatione. *Cito proferte stolam primã, & in-*  
*duite eum.* Annulum dari vult *cito*, id est, dari ipsi per  
 sacramenta gratiam cooperantem, vegetatiuam, ad-  
 iutricem, quæ iuuet malum fugere, bonum facere.  
 Vult ipsum reconciliari cito, id est, gratiam præser-  
 uatiuam aut defensiuaam contra assultus & aculeos  
 tentationum ipsi superaddi. *Cito date calceamenta in*  
*pedes eius.* Adduci vult vitulum saginatum occidi *cito*,  
 ad instruendum conuiuium, id est, vt cito admittatur  
 ad sacram communionem. *Cito adducite vitulum sa-*  
*ginatum, & occidite, & epulemur: comedetis festinantes*  
 vt totus restituatur tranquillitati conscientia, quæ  
 omnibus epulis iucundior est: *secura mens quasi iuge*  
*conuiuium.* Vt certa spes vitæ æternæ ipsi ingeratur,  
 vbi sunt bona omnia quæ excogitari possunt. *Satia-*  
*bor cum apparuerit gloria tua.* Per omnia festinatio-  
 nem mandat, *cito, cito*, vt monstret desiderium, & pe-  
 ne beneficentiæ impatientiam. Videte cumulata be-  
 neficia beneficiis, fauores fauoribus, honores hono-  
 ribus, familiaritatem familiaritate, maiore quam vn-  
 quam. Vnde quidam Doctores opinati sunt satis veri-  
 similiter, peccatorem per pœnitentiam semper noui  
 aliquid beneficij consequi: *vbi abundauit delictum, ibi*  
*abundat & gratia. Abyssus abyssum inuocat.*

Quis dubitat? Prodigus noster antequam desere-  
 ret patrem, verisimiliter non gestauit annulos: modo  
 gestat. Vel si ante gestauerat, modo dat in consuetum:  
 nam non dicit textus proferte annulum primum, vel  
 solitum, sicut de veste, *proferte stolam primam*, qua sci-  
 licet indui consuevit. Nunquam ante ita epulatus  
 erat in parentis domo, cum tanto sumptu. (Quomo-  
 do enim iunior, deterior, male moratior, si nun-  
 quam senior & factotum dicit, *Nunquam dedisti mihi*  
*hœdum vt cum amicis meis epularer: iam vero om-*  
*nia dedicantur ipsi.* Ante forte nunquam domi  
 chorum audierat, & symphoniam (etsi peregre  
 nimis sæpe) iam vero & audit & vidit, *Audiuisti se-*  
*nior*

Exod. 12.

Psal. 16.

Vide Ockam  
 in 4. q. 8. Gas  
 briel. dist. 4.  
 q. 3. art. 3.  
 Maiorem  
 dist. 21.

nior symphoniam & chorum. S. Chryostomus in verba S. Petri cum Domino, propter S. Iohannem Euangelistam, Achatem indiuisum. *Domine hic autem quid?* Notat familiaritatem quam vera pœnitentia nobis cum Deo adfert. Nam S. Petrus ante negatione Domini non audebat esse importunus, nec scrutari quis esset futurus traditor de quo loquebatur, substituit S. Iohannem, alterum ego, pro mediatore, sciens illum familiariorē. Post negationem vero & deplorationem adeo magistro suo factus est familiaris, ut ausus fuerit rogare de quibus S. Iohannes non audebat mutire. *Domine hic autem quid?* Idem S. Petrus nōne vniuersalis pastor creatus est, & quasi vice-Deus post pœnitentiam? Dauid nonne in capite constitutus est genealogiæ Christi, ante ipsum Abrahamum, propter factam pœnitentiam? *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham.* Zacharias pater magni Baptistæ, post incredulitatis pœnitentiam nonne præter vocem spiritum accepit prophetiæ, author pulcherrimi Cantici, quod toties in Ecclesia reperitur, *Benedictus Dominus Deus Israel?* Dilectissimi quæram hic nobis materiam suppeditat boni patris pro Prodigio conuiuium? totus dies nec integer aduentus sufficeret explicandis omnibus. Temporis breuitas iubet præcidere. Aliis forte annis, iuuante Deo, molemus & cribrabimus diligentius. Adiciam tantum ad dulcorandum palatum mellea ista in simili cala Ambrosij verba, ac dein verbulum vnum pro incitamento, ad imitandum Prodigij patrem, Deum videlicet nostrum.

D. Ambros. lib. 2. in Luc. loquens de Zacharia Baptistæ patre prophetante. ] *Vide quam bonus Deus, & a cæcis indulgere peccatis: non solum ablat a restituit, sed etiam insperata concedit. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius delictorum, præmia Diuina desperet. Nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum.* Sed respiremus modicum, tum calcaria subdemus equo, remissuri ipsum sudantem ac fumantem longo labore in quietem.